



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Matrimonium XV. De benedictionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

MATRIM. XIV. & XV. 563

ab innocente, potest tamen petere. cap. 22. num. 23. Et innocens non tenetur reddere adultero petenti, potest tamen si velit, & quamuis innocens coeperit negare debitum adulteranti, tamen si ipse postea adulteretur, tenetur reddere. n. 22. 23.

MATRIMONIUM XIV. De Bigamia. Vxor non fit Bigama ex redditione debiti marito, quem scit adulterari: vir autem sic. cap. 16. n. 17. Cetera vide tit. Bigamia, & Irregularitas. I I.

MATRIMONIUM XV.

De benedictionibus.

VSUS matrimonij ante benedictionem non est mortalis, nec venialis, nec in prima vice. c. 16. n. 38. c. 22. n. 71. 83.

Peccat mort. qui temporibus ab Ecclesia prohibitis accipit benedictionem nuptiarum, aut traducit solemniter sponsam in domum: non tamen si solum contrahit sponsalia, vel matrimonium de presenti. Tempora autem à Trid. pro benedictionibus interdicta sunt ab Aduentu vsque ad Epiphaniam, & à feria. 4. Cinerum vsque ad Dominicam in Albis inclusiue. c. 22. num. 71.

Nn 2 Peccat

Peccat, qui benedicit secundas nuptias benedictione sacerdotali, quæ intra Missam fit, & qui suscipit illam. Secus de ea, quæ datur post Missam. Et secus etiam de illa solenni, ubi est consuetudo contraria: nam tunc possunt benedici secundæ nuptiæ: non solum quando alter coniugum est viduus sed etiam quando ambo sunt vidui. Et à fortiori debent suscipere benedictionem qui contrahentes primas nuptias, ante benedictionem susceptam, ob mortem coniugis de nouò contrahunt secundas. c. 22. n. 83.

MATRIMONIUM XVI.

De dispensatione.

PA P A potest iusta de causa dispensare in matrimonio rato, & non consummato, sicut de facto dispensarunt Paulus III. & Pius III. c. 22. num. 21.

Non tamen potest in consummato: & non dicitur consummatum per copulam, quæ præcessit matrimonium contractum, sed per eam quæ illud subsequitur. n. 84.

Papa potest dispensare in omnibus impedimentis iure humano inductis. n. 89.

In gradibus prohibitis, Leuit. 18. non dispensat